



IOANNES MEYERVS CARMELITARVM PROVINCIALIS.
 IOANNES in Brabantia natus est anno 1526. Is post
 prima literarum fundamēta feliciter in patria ia-
 eta Louanium, Lutetiam Parisiorum, & Coloniā
 celebriores Academias peruenit, atq; philosophie
 diligenter incubuit. parī ratione & Medicorū stu-
 dia percurrit & didicit. Inde ingenij dexteritate fre-
 tus Theologię operam dedit, et Doctoris insignia
 impetravit. In ea quoq; facultate adeò profecit, ut
 doctissimis Theologis & Philosophis connume-
 rari posset. Itaq; factum ut ordinis Carmelitarum
 per inferiorem Germaniā Prouincialis electus fue-
 rit, anno 1563. Est ille quadratę staturę homo, corpo-
 re robusto, & facundia singulari præditus. Accidit
 autem in mea peregrinatione 1565, cum Aschenburgi apud electorē Mogun-
 tinum essem, ut & Iohannes propter negotia eò ueniret. Itaq; cum sorte in eo-
 dem hospitio essemus, semel atq; iterum in Philosophicis contulimus, & fa-
 miliaritatem aliquam contraximus. In ea collatione sensi hunc Iohannem ra-
 ra eruditione & iuditio præclaro esse conspicuum, id quod postea ab a-
 lijs uiris doctis plenius percepi: ut dignus sit, qui hoc loco reliquis
 eruditis Germanis adiiciatur. Anon.